EXAMEN SCRIPTI


DE

# JURE

# EXEQUENDI SENTENTIAS DIRECTORIBUS CIRCULORUM COMPETENTE

CONTRA

# DISSERTATIONEM




DE

# OFFICIO DIRECTORUM ET DUCUM CIRCULARIUM IN EXECUTIONE SENTENTIARUM EDITI.

---

M. DC. XCIX.



# Prolegomena.



On unô tantùm ſpiculorum genere Diſſertatio, quæ de Directorum Ducumque Circularium officiô in executionibus ſententiarum non ita pridem prodiit, ſed tribus diverſorum ſcriptorum arietibus impetita fuit. Theſes, quibus audacior quidam, non tàm ſolidè, quàm inſulsè propriô auſu primus adverſus eam in publicum prorumpere conatus eſt, jacent variis, quibus inflatæ ſunt, & quæ à prudentioribus nunquàm approbabuntur, calumnioſis inculpationibus in S. Cæſ. Majeſtatem ejusque Excelſum Conſilium Aulicum ac Ablegatum Illuſtrisſimum magis in hypotheſi, quàm in Disſertationis autorem vibratis proſtitutæ, ut longè lateque oſtentent, fabricatorem earum magis pœnam, quàm refutationem meritum eſſe. Hanc æquus Lector, quod falſas inculpationes attinet, in binis Epiſtolis Germanicô idiomate editis invenire poterit. Reliqua, quæ pro defenſione diſſertationis contra ſpecioſiores objectiones in medium adducenda ſunt, in hôc examine, & in diſcuſſione alterius ſcripti Germanici contra diſſertationem quaſi pro aſſertione jurium Directoriis circularibus attributorum editi, abundè continentur. Magis eruditum & theſibus minùs aculeatum ſcriptionis genus eſt, quod poſt illas vir moderatior contra dictam diſſertationem

tionem non in concinnô typô publicavit, cujus proinde ſtylus cùm minùs ferox, minusque imprudens ſit, minùs etiam carpendum opus in modô ſcribendi reddidit, in Imperatorem quidem ac ſupremam ejus autoritatem alicubi etiam minùs æquus, reverentior tamen paſſim, & variis in locis egregiarum veritatum, quæ contra maſtiges Cæſareorum jurium pro Imperatore ſtant, ſine fucô obſervantior. Fundamentum autem cui juxta octo Poſitiones præliminares autori opus ſuum ſuperſtruere placuit, in eô conſiſtit, quod jus exequendi Directoribus Circulorum non ſolùm per leges, ſed etiam pactô publicô inter Imperatorem & Electores Principes ac Statûs ita datum ſit, ut non liceat ſententias ſupremorum judiciorum per alios exequi, ſed ſi vel ipſe Imperator illis non adhibitis ad executionem ſententiæ in Conſiliô aulicô latæ progrederetur, poſſe eos etiam vi armatâ reſiſtere, & jus ſuum in executione ſententiarum quæſitum tueri. Autor Diſſertationis rem tanti momenti profundius examinandam cenſuit: Et dum exactiùs Contenta iſtius ſcripti conſideravit, ac de iis cum viris hujusmodi negotiorum peritiſſimis communicavit, cum ipſis etiam in eo deprehendit, planè intacta relicta, imò pro alienis & ad propoſitum impertinentibus habita fuiſſe, quæ tamen ad deciſionem quæſtionis plurimum conferunt, & in diverſitatibus Conſilii Imperialis aulici & Judicii Cameralis conſiſtunt.

Author Scripti eas ſuperficiariè tangit ad caput 2. faceturq; Conſilium aulicum antiquius eſſe Judiciô Camerali, & à Solô Imperatore conſtitui ac formari, licèt ibi quædam addat, quæ cum rei veritate non conveniunt, de quibus ſuô locô. Fateor ibidem Conſilium aulicum quoad formalia breviore proceſſu gaudere. Fatetur ad c. 4. Executorem rem ab aliô judicatam impedire non debere. Fatetur ad c. 8. Imperatori quondam liberam exequendi facultatem competiiſſe, concedit ad c. 13. in modo publicandi ſententias aliquid arbitrio Cæſareo relictum eſſe. Fatetur etiam ad cap. 5. extra dubium ſupremam

judi-

judicandi poteſtatem Imperatori competere, eique Jus exequendi ſententias conjunctum eſſe. Cæterum facultatem iſtam judicandi Imperatores exercuerunt vel ipſi, vel per Judicem & Judicium, ſive Conſilium aulicum, antequàm Judicium Camerale inſtitueretur, quod author ad Annum 1495. refert, quô Imperator Maximilianus I. in Comitiis Wormatienſibus illi Judicio primas Leges dedit, & Judicium Camerale fixum & ſtabile fecit, ac in ordinem redegit. Ante ſub ipſius Parente Imperatore Fridericô ad aliquod tempus & ad quaſdam cauſas, imò jam tùm ſub Wenceslao pro conſervandâ pace publicâ Judicium habitum fuiſſe, quod Camerale vocabatur, ex Hiſtoriâ notum eſt.

Imperator Maximilianus I. Judicium Camerale ordinarium inſtituturus, ut illud Ordines agnoſcerent, ejus Jurisdictioni ſe ſubmitterent, & ſumtûs ad ejus ſuſtentationem conferrent, opus habuit, ut eorum conſenſum adhiberet.

Ordinationes etiam, quæ in judicando & exequendo obſervandæ eſſent, tanquàm Leges ipſorum conſenſu & conſilio fiebant. At Imperator hôc ipsô Jurisdictione ſuâ ſe non abdicavit, ſed concurrentiam Conſilio aulico cum Judicio Camerali reſervavit, imò nonnullas cauſas Judicio Camerali decidendas non communicavit, ſed Conſilium aulicum ſeparatas â Judicio Camerali rationes ſemper retinuit, nec Legibus Cameralibus præcisè adſtrictum fuit, & antiquum modum procedendi continuavit. Imperatores à tempore Ferdinandi I. conſilio iſti aulico à ſe dependenti Ordinationes peculiares dederunt, quorum poſtrema Divi Ferdinandi III. S. Cæſ. & Regis Romanorum Majeſtati in Capitulationibus tanquàm uſu recepta propoſita eſt, in evidens indicium, quod Ordinatio Cameralis Conſilium aulicum non ità, ut Judicium Camerale etiam poſt Inſtrumentum Pacis ſtringat, quemadmodum viciſſim Judicium Camerale Ordinationem Conſilii aulici pro norma non habet.

 In

In Instrumento Pacis Cæsareó-Svecico, art. V. §. 55. sancitum quidem legitur, Ordinationem Cameræ Imperialis etiam in Consilio aulico per omnia quoad processum observandam esse: sed notissimus usus & secuta Ordinatio Consilii aulici id ad substantialia Procesſûs restrinxit, sine quibus Jus & Justitia ritè administrata dici nequit, nec ad accidentalia, aut quævis solennia extendit, quod author ad caput 4. & 13. etiam fatetur, & ad cap. 22. inter utrumque Judicium supremum in modo procedendi tantum differentiæ superesse prætendit, ut Revisionis remedio in Camerali Judicio interposito effectum suspensivum deneget, in Consilio aulico autem quæsito (licèt contra observantiam) obtrudat.

Extat integer Tractatus de differentiis Consilii aulici & Judicii Cameralis, & qui in utroque Judicio versati sunt, in omnibus penè â capite ad calcem usque formam Processuum hic & illîc discrepare nôrunt, earumque ratio inde desumitur, quod S. Cæs. Majestas secundùm verba authoris ad cap. 5. tanquàm fons & origo Jurisdictionis juxtà Consilium aulicum consentientibus Ordinibus Judicium Camerale sub præscripto certo modo procedendi instituit. Ipse Imperator autem ad eundem modum in Consilio aulico præcisè observandum se non obstrinxit, sed supremam Jurisdictionem suam retinuit illibatam, ut Consilium aulicum, per quod eam exercet, prorsus æquali Jure cum Judicio Camerali censeri non possit.

Lubet ex multis Consilii aulici & Judicii Cameralis differentiis unam delibare, quæ proximè ad præsentem controversiam accedit, nimirum Commissionum, quales ad formandum totum processum & referendum cum, vel sine voto Judicio Camerali instituere non licet, quod tamen Imperatori integrum est, ità, ut ab ipsius Majestate solâ Commissarii etiam ad Austrægas, non item à Judicio Camerali dari possint.

Vigore hujus potestatis Soli Imperatori relictæ, ipsi quoque integrum mansit, ad totum processum, qui executionem etiam complectitur, Commissarios constituere, etiam

partes executorias alicui , quem maximè idoneum reputat, committere, neque ità ad Circulos adstrictus est instar Judicii Cameralis, cui exequendi facultas limitata quoad modum & personas adhibendas concessa fuit, quæ anteà cum totâ Jurisdictione sola penès Imperatores fuit, cùm Circuli, eorumque Directores & Duces initium nondum habuissent.

Imperatores Judicium Camerale eâ intentione non instituerunt, nec continuârunt, ut sese potestate aut Jurisdictione suâ per illud exuerent, aut quasi iisdem Cancellis se inc usissent, quos Judicio Camerali cum Ordinum consensu ponendos duxerunt, sed ipsis Electoribus, Principibus & Statibus, personis etiam privatis commodum & pergratum fuit, hujusmodi Commissionum ope celebriorem Justitiæ administrationem obtinere, & si hic modus maturandi litis exitum tolleretur, piorum Imperatorum laudabili zelo expeditiùs administrandi Justitiam obex poneretur, & partes maximo Beneficio abbreviandi lites privarentur, quod propter imaginarium quoddam commodum privatum sine gravi injuria universis adimi non posset, nec quisquam ex Electoribus, Principibus, vel Statibus facilè deprehenditur, qui non vel hujusmodi Commissiones petierit, vel acceptaverit.

Ab initio penes Imperatores mansit, sententias in Judicio Camerali latas exequi, quod ejus nomine & ipso absente per ejus Vicarium, vel per Imperii Regimen fiebat, ut legitur *in Declar. pac. publ. de Anno 1500. art. 7. & 9. Recess. Imp. Aug. de Anno 1500 art. 38. & 39. Ord. Cam. Constantiens. de Anno 1507. art. 17. In Rec. Imp. Trevir. & Colon. de Anno 1512. part. 1. §. 8. & 9.* executio sententiarum Cameralium demùm Capitaneis Circulorum commissa fuit.

Juxtà Ordinationem Cameralem contumaces in Bannum priùs declarabantur, ut habet *Ord. Cam. de Anno 1500. art. 8. de Anno 1507. art. 16. & de Anno 1555. part. 3. tit. 48.* Postquam passi sunt, se in Bannum declarari, instar hostium judicatorum tractabantur, quorum persecutio Circulis commissa fuit, ità tamen

tamen, ut etiam per ipsum Imperatorem, ope etiam Regimenti, vel per quemvis Magistratum, imò per alias etiam personas privatas executio realis contra hujusmodi contumacem fieri potuerit, ut habet *Ord. Cameral. Wormat. de Anno 1521. tit. 31. §. 7. Declar. pac. publ. de Anno 1522. cap. 14 21. 24. 30. & 31.*

Ne fortè diversum ratione Imperatoris etiam in bonis immediatè Imperio subjectis obtinere videri possit, his addendum, quemadmodum Imperator *in Rec. Imp. de Anno 1548. §. 37.* promisit, se Electoribus, Principibus & Statibus Imperii pro exigente necessitate in executione sententiarum Cameralium adstiturum esse: ità etiam *in Ordinatione Camerali par. 3. tit. 48. §. 9.* parti victrici liberum relinqui, an Ducem Circuli, an verò Imperatorem ipsum pro impetrandâ executione implorare velit Si etiam causæ adsint, ob quas Directores vel Duces Circulorum ad executionem adhibendi non essent, Judicium Camerale ad eos tàm adstrictum non est, ut non proximo Circulo ejusve Duci executio tunc mandari, etsi in proximis Circulis idem obstaculum occurrat, ac remotiores & tandem ad ipsum Imperatorem veniri possit, ut habet *Ord. Cam. par. 3. tit. 49. §. 7. & pax publ. Aug. de Anno 1548. §. 18.* Neque verò hæ ambages necessariæ essent, si statim constaret, executionem non nisi à Cæs. Majestate cum effectu obtineri posse *d. tit. 48. §. 9.*

Sed & in ipsa Executione gradûs observantur, quos dissertatio per vim directivam & compulsivam significavit. Judicio etiam Camerali juxtà ejus Ordinationem *par. 3. tit. 43. §. 3. & tit. 48. §. 1. & 5.* datum est non solùm per Comminationes & dictationes pœnarum, ut & declarationem in Bannum, sed etiam per missionem in possesionem, ut victor eam occupare possit, sententias suas sine Circulorum ope exequi, tenenturque Electores, Principes & Statûs ità immissum nullô modô turbare, sed eum potiùs in possesione suâ defendere. Debuisset itaque Lex vel Constitutio ad confutandam dissertationem allegari, quæ omnem exequendi facultatem à S. Cæs.

Maje-

Majeſtate ad Circulorum Directores abdicativè translatam eſſe probaret, in quo oppoſita ſententia unicè fundatur. Cùm autem ad cap. 8. author fateatur, quondam Imperatori liberam exequendi facultatem competiiſſe, probari etiam debuiſſet, quando & quomodo hæc facultas ad Directoria Circulorum reſtricta fuerit.

Interim obſtat ipſi vulgatum Brocardicum : quod non mutatum eſt, cur ſtare prohibetur ? Idem author non vult ad cap. 14. Imperatorem ad novum modum exequendi adſtringi. Declaratio *Pac. pub. de Anno 1522. §. 30. & pax publ. de Anno 1548. art. 28.* alias Ordinationes aliaque Jura executiones concernentibus pro non ſublatis haberi jubent.

Sanâ ratione non licet præſumere, Imperatorem hôc Jure ſe abdicâſſe, aut manûs ſibi ligare voluiſſe, quô minùs aliis etiam executiones ſententiarum, quàm Circulorum Directoribus ampliùs committere poſſit, quamvis etiam cauſæ adſint, ob quas prætereundi eſſent.

Et cùm omnium reliquorum Principum & Statuum maximè interſit, ne ipſis libertas petendi & ſuſcipiendi hujusmodi commiſſiones intervertatur, nec executiones Directoriis Circulorum privativè ſubjiciantur : Quis credet, eos huic opimo Juri ſuo hôc ipsô recunciâſſe, quod Receſſui Imperii novisſimo *§. 15. 86. & 160.* inſertum legatur, executionem ſententiarum Cameralium Directoribus Circulornm comittendam eſſe? At de reliquis usq; eò excludendis, ut non am-pliùs ab Imperatore impetrare liceat, executionem ſententiarum in Conſilio aulico latarum ipſis, vel alii idoneo committi, dictô Receſſu nihil continetur : quin potiùs *§. 168.* Conſilio aulico ſpeciatim ab Imperatore injunctum fuit, ut primas Inſtantias æquè ac Judicium Camerale obſervaret. Si eadem parificatio utriusque Judicii quoad executionem ſententiarum placuiſſet, de quibus in præcedentibus paragraphis actum, id ibidem vel alibi verbis claris expreſſum, aut generaliter ad ſententias ſupremorum Judiciorum accommodatum fuiſſet,

 quic-

quicquid ſpeciatim de ſententiarum Cameralium executione diſpoſitum eſt. His accedit obſervantia non interrupta, quam exempla plerarumq; Executionum per Conſilium aulicum aliis præter Circulorum Directores commiſſarum teſtantur, quæ tàm copioſa & in Conſilio aulico, nec non in aulis & Curiis Principum & Statuum verſatis nimium cognita ſunt, ut non opus ſit, pauca ex tàm multis recenſere.

Contrariæ ſententiæ Patroni non concederent, ipſos Directores Circulorum hujusmodi Commiſſiones ad exequendum ſententias Conſilii aulici ab Imperatore nec petere, nec ſuſcipere potuiſſe, cum Executiones ſententiarum Cameralium iisdem verbis Circulorum Ducibus commiſſæ fuerunt.

Vix credendum, authorem ipſum alicui ex Directoribus Circulorum litem in alio Circulo habenti ſuaſurum eſſe, ſi ſententiam immiſſoriam à Cæſ. Majeſtate eôdem modô obtineret, ne poſſesſionem ope alterius Commiſſarii Cæſarei ingrederetur, ſed priùs iſtius Circuli Directores adeundos cenſeret. Cur ergò tantô cum impetu impugnatur, quod in caſu inverſo non illicitum reputaretur? Et ſic ex fundamento prorſùs nullo pro Jure noviter Directoribus Circulorum quæſitô contra Diſſertationem in caſſum laboratum fuit.

Cum iſto fundamento ſimul caderent, quæ ei ſuperſtructa ſunt. Sed quia in poſitionibus & oppoſitionibus nonnulla etiam continentur, quæ dilucidatione adhuc opus habent, ne quid falſis impreſſionibus inde concipiendis reliquum maneat, lubet etiam, ſingula capita ventilare.

## Ad Poſitionem I. & II.

HIs ità præmiſſis, poſitio prima & ſecunda, quibus probari intenditur, executionem ſententiarum à ſupremis Judicibus aliis committi poſſe, intelligendæ ſunt de facultate officiali, non de Jure ſupremo exequendi, & de conceſſione communicativè non abdicativè factâ. Jus exequendi ſententias à ſuprema

prema Jurisdidictione inseparabile; est, & propterea ab ea facultatem exequendi non privativè, sed cumulativè, ut radium à sole emanâsse intelligitur.

## Ad Positionem III.

APplicatio præmissarum ad Directores & Duces Circulorum ità intelligenda est, ut Leges allegatæ necessitatem per eos exequendi ipsis quidem propter officium injungant, sed non Imperatori. Loquuntur speciatim de sententiis Cameralibus, nec abrogant consuetudines Consilii aulici, neque obstant, quò minùs ob justas causas Directoria Circulorum in exequendo præteriri possint. Ex parte *3. tit. 48. Ord. Camer.* constat, male intelligi titulum sequentem 49. quasi Imperator pro executione adimplendâ non aliter implorari posit, quàm si Circuli illam priùs denegâssent.

In Instrumento Pacis *art. 16.* Directoribus Circulorum alii etiam Commissarii Cæsarei adjecti sunt.

*§. 15. Receß. Imp. de Anno* 1654. agit de speciali executione Collectarum ad sustentationem Judicii Cameralis destinatarum.

Et quamvis *§. 160.* Directoribus Circulorum executiones sententiarum in genere committat, non tamen Ordinatio Cameralis & Consuetudines Consilii aulici hôc ipsô sublatæ sunt, quin potiùs ibi pro regula istius Commissionis Ordinatio Cameralis expresse allegatur & subjunigtur; Directores Circulares ob causas sonticas etiam à Judicio Camerali in exequendo præteriri posse.

## Ad Positionem IV.

POsitio quarta à Legibus ad Pacta transit, de quibus non est Disputatio, quin Judicio Camerali Jurisdictio per omnes partes, simulque executio certis conditionibus & modis ab Imperatore cum consensu Ordinum data, & de iis inter Cæs.

 Maje-

Majeſtatem & Ordines ita conventum fuerit : At quod Conventiones iſtæ usque eò ſe non extendant , ut nulla omninò executio, niſi præ requiſitis Directoribus vel Ducibus Circulorum fieri poſſit , ſupra ſatis evidenter demonſtratum , contrarium autem in poſitionibus , minimè evictum eſt.

Allegata Declaratio Pacis publicæ *Norib. de Anno 1522. §. 14. 21. 24. 30. & 31.* non vult, ut aliæ Ordinationes circa executiones per Conſtitutionem Ducum Circularium immutatæ intelligantur, quod repetitur in Pace publica *Auguſt. de Anno 1548. §. 28.* id etiam de conſuetudinibus in Conſilio aulico receptis accipere par eſt.

Receſſus Imperii *de Anno 1544. §. 13.* nihil ad rem facit, quia de convocandis tùm Circulis loquitur. Locus ex Receſſu Imperii *Auguſt. de Anno 1548. §. 37.* patrocinatur potiùs diſſertationi, quia in fine expreſsè continetur , quod Imperator juxtim in caſibus , ubi neceſſitas id requirit, Electoribus , Principibus & Statibus promotione & ope ſuâ adeſſe, & pro conditione cauſarum partes ſuas interponere velit & & teneatur. §. *8. tit. 48. par. 3. Ord. Camer.* jungi debuiſſet §. *9.* ubi partis victricis arbitrio relictum eſt, pro ulteriore executione S. Cæſ. Majeſtatem implorare , quod pro diſſertatione militat. Reliqui textûs Diſſertationi oppoſiti nihil evincunt, niſi quod Imperator & Ordines de his , quæ in ipſis Conſtitutionibus continentur , inter ſe convenerint. Sed quia in iis non legitur , executionem Directoribus vel Ducibus Circulorum privativè datam fuiſſe, nihil etiam Diſſertationi obſtant.

*Art. 16.* Inſtrumenti Pacis jam ad poſitionem tertiam reſponſum.

His ità poſitis non poteſt dici, S. Cæſ. Majeſtatem Capitulationi contravenire, dùm executionem ſententiæ more receptô fieri curat, quamvis etiam promiſerit, ſe nihil contra Ordinationem executionis directè , vel indirectè indulturam eſſe : nam Ordinatio executionis potiſſimùm conſervationem pacis publicæ inculcat. Alterum, quod executionem ſententiarum

rum attinet, *in Rec. Imp. de Anno 1555. §. 71.* paucis exprimitur, & ad Ordinationem Cameralem remittitur: Cui ut & Legibus executionis, aliisvè non contravenitur, si executio sententiarum aulicarum, verbi gratiâ per missionem in possessionem, & aliàs etiam sine Directoribus Circulorum peragatur, aut aliis etiam committatur id, quod ex antedictis satis clarum est.

Intentio Capitulationis est, præcavere, ne auxilium in utroq; Ordinationis Capite sistatur: quod promtiore executione non fit. In Ordinatione executionis agitur de sententiis Cameralibus, non de aulicis, quæ suo usitato modo exequendi relictæ sunt, ibique subintelligitur exceptio, nisi Directoria vel Duces Circulorum ob justas causas recusari possint.

## Ad Positionem V.

HIc immiscentur termini ex Jure antiquo Romanorum quæsiti, qui ad Statum Imperii modernum non benè quadrant. Distant inter se vigore officii & vigore Dominii, aut Imperii supremi, Jurisdictionalia exercere. Illô priore modô exequendi facultatem ad Directores & Duces Circulorum pertinere, ipsi authori indubitatum est. Facultas ista ratione Imperatoris & Imperii non avtocratica, sed subordinata est, ut exerceri possit, prævià sententiâ & requisitione opus habet. Mandata executorialia aliàs ab excitatoriis distinguuntur; hæc demum emanant, si illis non satisfactum sit. In Edicto Executionis *de Anno 1648.* nec non in literis ad Directores Circulorum, quæ exhibentur in *R. Imp. de Anno 1654.* expressè continetur, ipsis ut & Ducibus Circulorum facultatem exequendi à S. Cæs. Majestate committi. Quanquàm non negandum sit, hanc ipsis ut Commissionem perpetuam competere; tamen non sequitur, eam absq; requisitione, aut contra sententias exerceri posse, aut Imperatorem Mandata vel Rescripta sua executorialia ratione sententiarum in Consilio aulico latarum nonnisi ad Directores Circulorum emittere posse, etiamsi causæ adessent, cur recusari deberent, quod author positionum probare debuisset, sed non potuit.

 Ad

# Ad Positionem VI.

POsitio sexta incongruè æquiparat Jurisdictionem Statuum cum facultate exquendi Directoribus Jure Officii commissâ, quia in hoc non ità ab Imperatore consensum fuit, ut sese executionibus sententiarum, tàm aulicarum, quàm Cameralium planè abdicaret, sed ut ad reservata in ante allegatis Sanctionibus Jura consuetudinaria & Scripta simul respiceretur.

Nullâ autem Lege vel ratione probari potest, officium exequendi Directoribus liberum esse, quod etiam positio 8. negat; sed ratione obsequii erga Imperatorem & quoad Executionis incumbentiam utique necessarium est, quod ut observent, in Declaratione Pacis publicæ *Norib. de Anno* 1522. *art. ult.* sub gravi pœna mille marcarum auri ipsis injunctum est, & à Judicio Camerali etiam Mandata pœnalia contra eos emanant, ut exequendi officio satisfaciant.

*Ex art.* 26. Capitulationis Leopoldinæ non sequitur: quia Imperator non debet executionem sententiarum Cameralium impedire: ergo licet Directoribus Circulorum Consilii aulici sententiis resistere. Si verò Ordinatio Executionis facultatem executricem præcisè ad Directoria Circulorum adstrinxisset; utique *art.* 38. Capitulationis contra Dissertationem allegari, quod Rescripta, quibus executio sententiæ ab Imperatore non præcisè Directoribus Circuli, sed alii committitur, locum habere non possint. At contrarium ex suprà dictis constat. Locus pro insigni allegatus ex Recessu Executionis *de Anno* 1650. *§.6.* huc planè non pertinet, quia hîc non de ista Executione speciali agitur.

Satis constat à Judicio Camerali ad Imperatorem in materia Jurisdictionis non procedere argumentationem, proinde non sequitur: si Camerale Judicium executiones Circulorum impedire non potest, quod proptereà Imperator executionem sententiarum aulicarum aliis non possit, quàm Circulorum Directoribus committere, quanquàm urgentes etiam rationes idem velint.

Ad

# Ad Positionem VII.

POsitione septimâ continentur, quæ altiorem indaginem requirunt, nimirùm an & quando Ordinationibus liceat Imperatori vi armatâ resistere.

Ex Instrumento Pacis *art. 8. §. 2.* constat, Electores, Principes & Status ne fœdera quidem contra Imperatorem pro conservatione Jurium suorum pangere posse, sed ea semper salvô per omnia Juramentô, quô quisque Imperatori & Imperio obstrictus est, intelligi debere, quô ad obsequium S. Cæs. Majestati præstandum tenentur. Idemque in ipsa Ordinatione executionis contentâ *in R. I. August. de Anno 1555. §. 59.* Ducibus Circularibus expresse inculcatur.

In Instrumento Pacis *art. 17. §. 7.* nulli omninò Statuum permissum est, Jus suum vi, vel armis persequi, sed si quid controversiæ inciderit, unusquisque Jure experiri tenetur, secùs faciens reus fit fractæ pacis, quod in *Receß. Imp. de Anno 1654. §. 193.* repetitum legitur. Positio autem Directores Circulorum sub prætextu defendendi Jura sua ad arma contra Imperatorem concitat; & tamen prætensum Jus prorsus illiquidum & planè novum esset, ut Imperator viâ facti processisse culpandus esset, si id egit, quod moribus comprobatum, nec scriptis Legibus Imperii disconvenit.

Ubi Jura Imperatoris & Ordinum collidi videntur, non statim cessat respectus & observantia erga Imperatorem, imò ubi inter partes contentio de aliquo Jure vel expeditione occurrit, præventioni locus datur, & occupantis conditio melior habetur, meritoque esse debet, quò minùs pro prævento vis ad ejiciendum occupantem adhiberi debeat.

In Declaratione Pacis publicæ *Norib. de Anno 1522. art. 29.* quem locum sequens positio 8. allegat, expresse sancitur, quomodo hujusmodi controversiæ super executione emergentes decidi debeant, nimirùm res ad Imperatorem protinùs

deferen-

deferenda,& ab eo Ordinatio & decisio expectanda, eique Circulis acquiescendum statuitur. Cui Sanctioni plus tribuendum, quàm longè à disparatis quæsitis ratiocinationibus. Quod Imperatori fortè regerendum videtur, ipsius Majestatem hic in propria causa versari, adeoque Judicem agere non posse: hoc idem tantò magis Directoribus Circulorum obstaret, qui tamen Imperatorem, ut superiorem venerari, & omnia ipsi in bonam partem vertere tenentur, qui non nudus Judex, sed supremum Caput & Rex est, cui sine gravissimo periculo arma opponi nequeant. Commissiones Cæsareæ autem ad exequendum consuetudine, nec non Imperii Sanctionibus munitæ ad ea minimè referendæ sunt, quæ pro nullis haberi deberent.

Quæ Statibus inter se pro Jurium suorum defensione licet, ea in maximè dubiis etiam erga Imperatorem usurpare non decet. Imperatoris Officialibus fortè excedentibus, at ipsi Imperatori resisti posse, ex allegatis Legibus Codicis probari posset. Si hoc sub prætextu cujusvis læsionis permitteretur, vix quidquàm tranquillè amplius decidi posset.

In materia exequendi sententias, plura coincidunt, quorum maximè principale est sententia, quam executio, ut accessorium. Cavendum autem, ne per accessorium subvertatur principale, & ne sententia, quæ ab Imperatore lata est, incompetenti censuræ, vel per indirectum subjiciatur, & planè elusoria reddatur. Nullitates autem sententiæ supremorum Judiciorum impingere, inconveniens est, si manifestè non constet, contra substantialia Judiciorum actum fuisse. Quia à turbis abhorrendum, si parti victæ aliâ insuper viâ consuli potest (potest autem in petitorio, si possessio interim alii adjudicata sit) semitam Juris vi armatæ præferendam esse, quilibet censebit, cui tranquillitas publica curæ cordique est. Ex exigua expectatione alterius sententiæ nihil decedit saluti Imperii, ità liceat verba Authoris ad Caput II. huc accommodare.

Author ad Caput I. asserit, hanc controversiam ad Comitia pertinere : At quâ ratione interim Directoribus Circulorum persuaderi potest, quod justa hîc causa subsit, lite indecisâ contra S. Cæs. Majestatem arma capessendi?

Ad Caput 26. fatetur, Circulorum non esse, Leges reformare, esse tamen illorum, de Justitia non ritè administrata querelas ad Comitia deferre, & ejus emendationem urgere, quod ad caput 2. Electori Moguntino tribuit, de quibus alibi agendum, hîc autem tantùm monendum, rectè silere ibi authorem de armis Imperatori opponendis. Et si hæc quæstio in Comitiis proponeretur, Directores non haberent, quod sibi decisionem favorabiliorem inde promittere possent, cùm majora vota reliquorum Electorum, Principum & Statuum potiùs pro libertate pristina impetrandi & acceptandi à S. Cæs. Majestate hujusmodi Commissiones irrestrictas salvandâ concordatura essent.

Nec superest quidquam, quod metui oporteret, ne quis sub ista libertate magis, quam per Circulorum Directores gravari posset, postquàm Declarationi in Bannum modus positus est, quæ quondam executionem passis querendi materiam præbùit. At *ex Instr. Pac. art. V. §. 56.* constat, remissionem causarum ad Comitia locum non habere, etiam ubi dubia occurrunt circa interpretationem Constitutionum & Recessuum Imperii, nisi ubi Catholicorum & Augustanæ Confessioni addictorum vota in partes abeunt, & ubi causa inter diversæ religionis partes versatur, quod utrumque deficit.

## Ad Positionem VIII.

Contenta hujus Positionis utique Majestati Imperatoriæ multum detraherent, si ipsa non aliter sententias suas exequi posset, nisi Directores Circulorum, quamvis se minimè proclives pro victore demonstrarent. Hâc ratione executiones sententiarum multis difficultatibus involverentur, &

partes cum Judice curſum Juſtitiæ ſæpe retardatum lugere cogerentur. Poſitio ipſa hîc adducit locum *ex Ord. Cam. par. 3. tit. 49. §. 7.* quô probatur, Imperatorem poſſe de executionibus ſententiarum etiam Cameralium proſpicere, ubi conſtat, Directores Circulorum eas non eſſe expedituros. Vult poſitio etiam caſu, quô Directores vel Duces Circuli recuſari poſſent, Imperatorem tamen ipſum non poſſe ad executionem admitti, ſed teneri, eam propioribus Circulis intactam relinquere: Hîc de Jure tertii exciperetur, qui ſe liti non immiſcuit. Si propiorum Circulorum Directores executioni ſe non accingendos ducunt, an propterea Directores vel Duces, qui ob demonſtratum erga alteram partem affectum executioni non erant adhibendi, Jus acquirant eam intervertendi, ſi ab ipſo Imperatore facta ſit, hoc fuiſſet probandum, ſed manebit paradoxum omni Juris colore deſtitutum.

Quia aſſertiones diſſertationi oppoſitæ lubricô ſtant talô, malè ab obſequii vinculô propterea liberati cenſentur, qui eas pro irrefragabilibus habent, ſi Imperator iis non ducit accedendum eſſe. Supereſt, ut examinentur etiam, quæ author ad ſingula diſſertationis Capita monuit.

## Ad Caput I.

Author Diſſertationis non opus habuit, ut falſam cauſam operi licito, in quo verſabatur, prætexeret vel veram diſſimularet. Ad iſtum paucorum dierum laborem nec mentem, nec manum propriô motu applicâſſet; finem, qui ipſi affingitur, nec mente concepit, nec calamô expreſſit, ſed penetralibus terminis inhæſit, quos Imperii Conſtitutiones ſuppeditârunt, ut nec Imperatoris, nec Directorum circularium Jura vel nimis reſtringendô, vel extendendô confunderet. Quibus addendum, quod author controverſiæ principalis deciſionem Comitiis ſine fundamento tribuat, de quo ſupra ad Poſitionem 7. actum.

Ad

# Ad Caput II.

COntradici meretur non alium exequendi modum Imperatori reliquum esse præter illum, qui in Ordinatione Camerali & novissimo Recessu Imperii præscriptus est, quod in Prolegomenis refutatum legitur. Authori videtur hîc Judicium Camerale pro digniore haberi, quàm Consilium aulicum, huic tamen honorem antiquitatis relinquit, nec docet, quando aut quomodo & à quo recentius illud Judicium suprà hoc antiquius Consilium evectum sit. Utrique sua amplissima constat dignitas, sed in Consilio aulico plura negotia publica Belli & Pacis, nec non feudalia, aliaque tractari notum est, quæ Judicio Camerali non sunt commissa: Hinc illud Consilii, hoc Judicii nomine venit, & Consilium aulicum utplurimum Judicio Camerali præponitur, ut videre licet in *Receß. Imp. de Anno 1654. §. 180. ac Instr. Pac. art. 3. §. 2. art. 5. §. 56. art. 8. §. 5.* & æque non modò supremum Judicium, sed etiam Celsissimum Consilium Imperii est, cujus dignitatem potius auget, quàm minuit, quod ab Electore Moguntino, tanquam Imperii Archi-Cancellariô visitetur, qui tamen in judicando ipsi Legem non dat. Assessores Judicii Cameralis ad munus Consiliariorum Imperialium aulicorum promoveri, nec vice versâ hos officium Assessoris Cameralis capessere constat. Comites & Dynastæ Imperii ex antiquissimis familiis spartam Consiliarii Imperialis aulici frequenter ornant.

# Ad Caput III.

OMnia, quæ hîc supponuntur, Consilio aulico abs re imputari, quasi ad executionem sententiæ nimis properâsset, in Epistolis amici ad amicum solidissimè remonstratum est. Neque verò sub tàm piô & justô æquè ac prudente Imperatore verum periculum metui potest, quod armis avertendum esset, cum vel in Petitorio recursus ad Judiciũ salvus adhuc sit: non

autem ad arma veniendum est iis, quos Imperator Jurisdictione suâ compescere potest. Videndum potiùs, an prætensum præjudicium reverà tale sit, cui alia medela non posset applicari, an pro clandestinis machinationibus Jure merito habenda sint, quæ pro tranquillè administrandâ Justitiâ inter difficultates aliàs metuendas expeditissima videbantur, quæ prudentiæ, non fraudi Judicis religiosi tribuenda sunt. Probè dispiciendum quoque, ne sub prætextu hujus vel illius solennitatis non observatæ, de qua, quod substantialis sit, non liquet, sententia in se justa, simulque ordo in republica impugnetur, qui supremorum Judiciorum sententias extraordinariæ censuræ partium subjici non patitur. Et denique iterùm atque iterùm æquâ mentis lance ponderandum, nùm quis fortè sibi vel amico in opinione de Justitia causæ nimiùm blandiatur, & an remedia adæquata ritè & tempestivè adhibita fuerint.

## Ad Caput IV.

QUæ hîc objiciuntur, facilè resolvi possunt, primò si facultas avtocratica, sive Jus supremum ab officio, sive à potestate subordinata exequendi discernitur.

Illa prior à suprema Jurisdictione inseparabilis est, & consistit in dirigendo & ordinando Executionem, hæc autem in ea effectui mancipandâ, & ab illa tanquàm à suo committente & superiore dependet, separationemque ab ea recipit, sed non talem, ut ejus potestatem omninò exhauriat. Ita author etiam ad caput 9. infrà ratiocinatur, & ad cap. 21. relinquit Imperatori supremam vim directivam in exequendo. Secundò, si ex præliminaribus repetitur, *R. I. de Anno* 1654. §. 160. agere de executionibus sententiarum Cameralium, idem per omnia non obtinere in sententiis Consilii aulici, neque executio statim dici potest clandestina, quamvis irrequisitis Circulorum Directoribus facta sit, quorum devotio & observantia erga Imperatorem major est, quàm ut ad violenta properandum censeant,

ant, ubi benignissimo Capiti suo, quando se gravari putant, placidè conquerendi Libertatem habent, cum spe, S. ipsius Majestatem pro summo Justitiæ amore & studiô non permissuram esse, ut Juribus eorum quidquam derogetur, sed ea ipsis ultrò sarta tecta conservaturam, etsi reverà violata essent, restauraturam esse, quemadmodum de ipsis quoque fiducia est, eos Jura Majestatis Imperatoriæ cum debito respectu agnituros & illibata relicturos esse: modò Jura Imperatoris & Directorum inter se ritè discernantur.

## Ad Caput V.

MOdum & rationem exequendi hîc author retulit, quomodo in sententiis Cameralibus procedendum. Aliud obtinere in sententiarum aulicarum executionibus suprà in præliminaribus abundè deductum. Quando prætenditur, ut ab isto exequendi modo recedatur, tunc habet Imperator, quod ei insistat, ut ad celerem Justitiæ administrationem conducenti, nec patiatur supremo Juri suo derogari. Juxta distinctionem ad præcedens caput annotatam falsum non est, quod Majestas Imperatoris salva esse non possit, si Jus supremum exequendi ipsi non competeret.

## Ad Caput VI.

CUm Directoria Circulorum ad sententiarum executiones non Jure Avtocraticô, sed vigore officii, nec porpriô motu, sed ad Mandatum vel requisitionem concurrant, partes eorum subsidiariæ absque injuriâ dicuntur, nec facultatem examinandi etiam sententiam involvunt. Cum Executio certas personas requirat, per quas expedienda est: Locô Circulorum, Ducibus eorum commissa fuit *in Ord. Cam. par. 3. tit. 48. & 49.* ad quam tanquam ad regulam in ipso *§. 160. R. I. de Anno 1654.* adhuc provocatur, ubi de Executione Directoribus Circu-

lorum mandandâ agitur, inevidens argumentum officium exequendi ſententias Ducibus non planè ademtum fuiſſe.

Etſi vel maximé ſententiarum Cameralium executio ad Directores Circulorum translata eſſet, hoc tamen non feriret ſententias in Conſilio aulico latas.

In noviſſimo *Receß. Imp.* §. *178*. injunctum eſt Circulis, ut de Officiis Circularis Ducis ejusque Adjunctorum ſine mora proſpiciant, quod non convenit cum eo, quod penes Directores ſtet, an ipſi Ducis Officiô fungi velint, & tamen Ducem non à Directoribus, ſed ab omnibus Statibus Circularibus dependere, ipſe author recognovit, qui alibi etiam non id, quod fit, ſed quod fieri debet, valere vult.

# Ad Caput VII.

SI in aprico eſſet, executionem ſententiæ per alios ea intentione quæri, ut Directoribus Circulorum præjudicium crearetur, haberent, de quo debito modo conqueri poſſent. At ſi more recepto executio inſtituitur, non poteſt ea pro illegitima haberi, quamvis ſententia in Conſilio aulico non ad formam aliàs frequentiorem videatur promulgata eſſe.

Effugium quaſi *in* §. *178*. *R*. *I*. noviſſimi Officium Ducis Circularis denuò confirmatum fuiſſet, tantùm ut contra violatores Pacis publicæ, non autem ad executionem ſententiarum ſe exercere intelligatur, lubrico ſtat pede. Nemo inficias ire poteſt, conſervationem Pacis publicæ, unde univerſi Circuli ſalus dependet, longè majoris momenti eſſe, quàm executionem alicujus ſententiæ, quæ ſingulos, & utplurimùm privatos actores concernunt. Si itaque Duces Circulorum à principaliori non intelliguntur dimiſſi, cur idem non eſſet dicendum de altera connexa functione exequendi ſententias minùs principali? Reliquæ objectionis hôc unô ſolvuntur, quod diſpoſita de executione ſententiarum Cameralium non pertineant ad executiones ſententiarum in Conſilio aulico latarum. Sic etiam cadit, quicquid de violatione Capitulationis & nullitatis vitiô interſertum eſt.

A. S.

A S. Cæſ. Majeſtatis indefeſso ſtudio & zelo adminiſtrandi juſtitiam prorſus aliena eſt præſumtio, quaſi ipſa non ſatis de modo exequendi in cauſa, ad quam alluditur, informata fuiſſet, cùm ipſa ſententiam ad effectum promoveri juſſerit, & antequam tale quid contra Imperii Principem fieri permittat, exactam rei cognitionem hauriat.

## Ad Caput VIII.

OPortuit utique Diſſertationem meminiſſe originis Circulorum, ut & Ducum, dum eorum officia in exequendo deſcribere voluit. Inde enim cognoſci potuit, executiones ſententiarum ante eorum inſtitutionem ſub initium ſeculi 16ti natam, ab Imperatoribus ſolis, ut reliqua Jurisdictionalia dependiſſe. Eôdem etiam tempore Directores Circulorum officia ſua exercere cepiſſe, veriſimile eſt. Nimis facilis eſt author annotationum oppoſitarum; elargiendô mutationem antiquorum Jurium ſine ullius expreſſæ Sanctionis derogatoriæ allegatione, contra *Declar. Pac. publ. de Anno* 1522. *§. 31.* quam tamen hîc adducit, & contra *art. Pac. publ. Cæſ. de Anno* 1548. *§. 28.* interpretandô etiam, & extendendô Conſtitutiones ſententiis Cameralibus ſpeciatim aptatas ad aulicas; inſuper habitô, quod uſus continuus aliud comprobet.

Negat quidem diſſertatio, nec ſine rationibus, quas oppoſita annotatio non aggreſſa eſt, ab initio Circulis Capitaneos non fuiſſe neceſſarios, neque ullibi legi, tales conſtitutos fuiſſe, quod ipſe author fatetur, dum Directores Circulorum Ducibus antiquiores eſſe ſtatuit, ſed non negavit, eos facultatem exequendi ſimul nactos fuiſſe, cùm ad militaria Circulorum negotia expedienda à Circulis conſtituerentur.

## Ad Caput IX.

Unô ictu reſolvuntur, quæcunque hîc objiciuntur, primò ſi Conſilii aulici ſententiæ, earumque executio à Cameralibus

bus

bus ſeparantur : nam objectiones ſpectant tantùm ad Judicium Camerale : Conſilii aulici diverſa ratio in prolegomenis deducta eſt.

Secundò, ſi executionis gradus diſtinguuntur, an vis armata adhibenda, an verò miſſio in poſſeſſionem decernenda ſit.

Ad hanc ne quidem in Judicio Camerali vel Directores vel Duces Circulorum adhibere, neceſſe eſt, ut ex jam dictis abundè conſtat.

## Ad Caput X.

EX *art. 16. Inſtr. Pac. Cæſ. Svec.* malè concludi, quod Directores Circulorum eô tantùm caſu præteriri poſſint, quando in propria cauſa verſantur, *ex §. 160. R. I. de Anno 1654.* conſtat, ubi etiam quævis alia cauſa ſontica admittitur. *In art. 16.* modô allegatô ſermo eſt de eô caſu, quô vicinorum Circulorum Directores vel Duces munus exequendi ſtatim ſuſcipere potuerunt & debuerunt. *In §. 3. dicti articuli* 16. optioni reſtituendorum relictum fuit, an locô Directorum & Ducum circularium alios Commiſſarios à S. Cæſaria Majeſtate impetrare voluerint. Diſcernendum hîc venit jus exequendi per Comiſſarios, à facultate eos nominandi. Hæc partibus : Illud Imperatori competit, cui etiam Electio unius ex iis, quos partes nominârunt, eorumque confirmatio, quin & nominatio ipſa reſervata fuit, quoties pars in iis nominandis tardaverit. Et in Edicto Executorio Pacis Weſtphalicæ poteſtas exequendi ab Imperatore conferri dicitur. Sed & parti Victrici licitum eſt, Commiſſarios ad ſententiarum in Conſilio aulico latarum executionem nominare. Jus autem confirmandi potius eſſe Jure nominandi, vel ex juribus Epiſcopi & Patroni conſtat.

Nimis generaliter hîc negatur, executionem Inſtrumenti Pacis nihil comune habere cum ordinaria ſententiarum executione, cùm tamen res transactæ pro Judicatis habeantur. Eſto! Ordinationem executionis *art. 16. §. 2.* non pertinere ad §. 3.

ubi

ubi de petendis & dandis Commiſſariis Cæſareis ad exquendum agitur, inde tamen nihil novi vel extraordinarii ratione Conſilii aulici erueretur, quia ibi hujusmodi Commiſſarii peti & dari ſolent. Ex eo, quod ſpeciatim de hoc modo exequendi in Inſtrumento Pacis cautum ſit, malè concluditur, eum prorſus extraordinarium eſſe. Statim enim idem inverti poſſet: ſi modus exequendi per Directores vel Duces Circulorum ordinarius eſſet, quid opus fuiſſet, de eo in Inſtrumento Pacis cavere, & ſpecialia Edicta & Reſcripta ad eos emittere? ſi de executione ſententiæ Cameralis ſermo hîc eſſet, locum habere fortè poſſet ſurrogatio Circulorum vicinorum, ſi proximi prætereundi eſſent; At inde non ſequitur, quod Directores proximi Circuli executionem irritare poſſint, quoties Imperator ſententiam Conſilii aulici alii exequendam, vel Victori ipſi poſſeſſionem apprehendendam comittit, licet etiam vicinorum Circulorum Directores ſileant. Author confundit ſemper executionem ſententiarum aulicarum & Cameralium, unde omnis diſputandi materia. Principalem authoris intentionem eſſe, ut evincat, ſub prætextu impugnandi modum procedendi per indirectum ipſam ſententiam Imperatoriam ſubvertere licere, fortè appareret, ſi ſententia pro parte victa excidiſſet, idemque modus in exequendo adhibitus fuiſſet, author vix eum impugnandum duceret, neque quisquam eundem impugnari pateretur, ſi alicui ex Directoribus Circularibus contingeret, ut ipſi executio ſententiæ in cauſa propria, ratione bonorum in alio Circulo ſitorum ab Imperatore cum adjunctione Commiſſarii concederetur.

In monitis tantùm modus procedendi carpitur, nihil contra ipſam ſententiam prolatum eſt. Hîc autem penſiculatius æſtimandum, an executio mereatur vitiô clandeſtinatis inſigniri, quâ ſententia per ſe juſta meliore & faciliore modô effectum ſortiri debuiſſet, ſive an ſententia juſta eluſoria reddenda ſit, ſi propter certas cauſas modô non extraordinariô, ſed faciliori executioni mandata ſit.

Itaque vitio vertendum non eſt, ſi Juſtitia in exequendo ſine dolo cum prudentiæ temperamento habilior reddi curatur. Finis Judiciorum conſiſtit in adminiſtratione Juſtitiæ, modus procedendi ſuppeditat media. Fine obtentô fruſtrà belligeraretur de mediis, an ritè adhibita ſint, cùm eorum uſus in Conſiſtorio Summi Principis non ſit ſtricti Juris.

# Ad Caput XI.

ORditur author à falſa ſuſpicione, & progreditur in ſuppoſito ſatis confutato, quaſi Directoribus Circulorum facultas exequendi privativè data eſſet. Cum allegato loco *ex Declar. Pac. publ. de Anno 1522.* conferri debet *art. 31.* ubi ſingulis etiam Magiſtratibus executiones committuntur, quamvis Capitanei Circulorum conſtituti ſint, additurque expreſsè: procedendum eſſe ſecundùm alias etiam Ordinationes præteritas & futuras, non ſecùs, ac ſi Circuli, eorumque Præfecti non eſſent conſtituti.

Disparitas, quam author hîc eruere conatur, quaſi Commiſſarius Cæſareus Directores Circulorum in exequendo quidem impedire non poſſit, hi autem ipſi præpedimenta objicere non prohibeantur; cum verbis dictæ Declarationis non convenit, quæ mutuam aſſiſtentiam & paritatem inter utrosque ſine exceptione injungit, nec alterum cum altero concurrere vult, niſi alter alterum requirat.

Non opus eſt argumentatione ſyllogiſticâ, ubi rerum teſtimonia adſunt. Intereſt Judicis & partium, ut ſententialia quam facillime & ſine ambagibus executioni mandetur.

Haud exigua mora metuenda eſſet, ſi Circuli inter ſe prius committendi eſſent, quibus juxtà authoris mentem alii vicini fortè dubium movere poſſent, quis eorum proximior ſit.

Ipſi Directores Circuli, qui prætereundi eſſent, eâdem facilitate reliquis Circulis ſeſe opponere poſſent, quaſi cauſæ non

ſæ non ſatis prægnantes eſſent, ut præteriri debuiſſent : Vicini fortè Circuli viribus non ſatis inſtructi eſſent, aut vererentur vicinis potentioribus vim inferre , etſi quæ alia ſunt, quibus ſententiæ executio in infinitum protrahi poſſet, ſi ea in arbitrio Circulorum eſſet.

Quod ſanè non levius periculum eſt, quàm ſi quis aggresſionem contra Pacem publicam pateretur , quia hoſtiliter etiam agit , qui alteri ſuum injuſtè detinet. Sic non apparet, cur minùs promtô auxiliô Imperator executionem ſententiarum promovere , quàm aliàs vim vi repellere deberet.

# Ad Caput XII.

MIrum, quod in dubium revocetur, an articulus V. §. 51. *in Inſtrum. Pac.* loquatur tantùm de negotiis Imperii, non item de Judicialibus, cùm tamen ibi non ſolùm de Deputatis Imperii Ordinariis ad negotia publica, non ad Judicialia deſtinatis agatur , ſed etiam dum in loco allegato ad extraordinarias Commiſſiones venitur , expreſsè additum ſit , intelligi tantùm negotia in Imperio , non autem in Judicio expedienda.

In Comitiis ac in Conventibus Circularibus & Collegialibus ſæpiùs occurrunt negotia inter Electores, Principes & Statûs dubia, præſertim in materia contributionum , hoſpitationum & his ſimilium, quibus componendis certi Deputati ex Conſtatibus conſtituuntur, qui reſpectu Deputatorum Ordinariorum in noviſſimo Imperii Receſſu §. *194.* nominatorum extraordinarii dicuntur, in quibus conſtituendis paritas religionis utique obſervanda venit, quia in talibus favor & odium religionis quid operari poteſt , quod alterius religionis conſorti in gravamen cederet. Hoc ceſſat in merè Judicialibus, ubi Commiſſarius ab utraque parte in religione æqualiter diſtat, ob id neuter habet, quod odium vel favorem ob religionem à Commiſſario præ altero ſperet, aut metuat.

Non obstat, quod in fine *d. §. 51.* mentio fiat votorum & sententiæ: Nam sententia in intelligenda pro substrata materia, quæ est negotium Imperii, tùm etiam observandum est, enunciationem ibi esse adversativam, Commissariis istis non licere in hujusmodi controversiis per modum sententiæ procedere, quod Ordinibus in Constatûs suos in hujusmodi caussis datum non est, quæ hôc ipso à Judicialibus ibi segregantur. Capitulatio potentissimi Regis Josephi non stringeret S. Cæsaream Majestatem, sed nec locus allegatus, qui se refert *ad d. art. V. §. 51.* illud infert, quod author vult.

# Ad Caput XIII.

REmittendus hîc est author ad epistolam amici ad amicum, quam legisse videtur, quia non ità crudè, sicut author thesium præsupponit, sententiam alterâ parte planè inauditâ latam fuisse. Postquam autem in eadem & altera epistola amici ad amicum deductum, quicquid ad justificandum processum etiam quoad sententiæ publicationem conducit, nihil iis addendum est.

Author monitorum plura dissertationi imputavit, quàm in ea deprehenduntur, quasi ipsam publicationem sententiæ inter accidentalia Judicii retulisset.

Contrarium legitur in principio, quod tantùm modus promulgandi accidentalibus accenseatur. Author ipse etiam fatetur, in publicando aliquid arbitrio Cæsaris relictum esse.

A publicatione Legum ad promulgationem sententiarum non procedit illatio, quoniam Leges in futurum non modò singulos, sed totam Universitatem per modum præcepti obligant, ut injuriâ afficerentur, qui juxta Leges istas judicarentur, antequam ad notitiam eorum venerunt. Sententia autem facit Jus inter partes, & quia, quod jam ante Juris erat, pronunciat, publicando simul executioni mandari, & exequendô simul publicari potest, quod de Judiciis supremis in

casibus

casibus specialibus intelligendum, ut si sententia in se justa sit, victus propterea se reapse injuriam passum esse queri non possit. Præmissio executorialium utique nec ad sententiæ, nec ad executionis substantialia pertinet, nec semper in Consilio aulico observatur.

## Ad Caput XIV.

COrruunt Monita ad hoc caput per ea, quæ in præliminaribus de differentiâ Consilii aulici & Judicii Cameralis dicta sunt.

Dissertatio non vult Consilium aulicum ad impediendas sententiarum Cameralium executiones Commissarium constituere posse, quod Recessui Imperii novissimo contrarium & insolitum esset. Dum Imperator modo exequendi sententias aulicas irrestrictô utitur, nihil detrahitur Juribus Circulorum, ut opus habeant, se contra Imperatorem defendere. Sed Circuli hôc ipsô Jus quæsitum S. Cæs. Majestati noviter in dubium vocarent.

## Ad Caput XV.

REcidunt hæc monita in idem cum præcedentibus, nimirùm in confusionem sententiarum in Consilio aulico, & in Judicio Camerali latarum, & graduum in Executionibus adhibendornm. Leges post Ordinationem Cameralem Constantiensem *de Anno 1507.* de modo exequendi agentes, ad sententias Consilii aulici non extendendas esse, in prolegomenis deductum legitur.

## Ad Caput XVI.

IDem regeritur monitis ad hoc caput adductis. Nimia est extensio executionis ab Imperatore, ut Archi-Duce & Principe Imperii impetrandæ, ad Regem Galliæ, tanquam exterum, cui ne qua executio à S. Cæs. Majestate committatur,

 ridicu-

ridiculus metus est. Circuli ob impotentiam ad exequendum inhabiles, ab Imperatore non privantur facultate exequendi, sed pro tempore eà ipsimet uti nequeunt. Interim Justitiæ cursus non est retardandus.

Suprà etiam ostensum, argumentationem à majori ad minus procedere affirmativè, si Imperator celeri auxiliô ipse pro pace publicâ conservandâ invasionibus hostilibus occurrere potest, quod idem possit ad exequendum sententias, nam & hoc ad conservandam Pacem publicam pertinet, nec minus periculum propter scandalum subest, si sententiis Imperatoris contumaciter resistitur, quas in vigore suo conservari, publicè interest.

# Ad Caput XVII.

Licèt respectûs, in Imperatore conjuncti sint, secundùm quos seorsim consideratos dissertatio ipsi Jus exequendi ex tot diversis Capitibus asseruit, non tamen idem bis, vel ter, tædiosè repetiit. Respectus hôc capite propositus infrà Imperatoris dignitatem non magis, quàm Officium Directoris vel Ducis infrà dignitatem Principis est. Si tantis Principibus hi tituli non nimis exigui sunt, nec etiam Imperatoriâ Majestate indignum erit, si consideretur, ut supremus omnium Ducum Circularium Imperator (quô nomine & intuitu supremæ Directionis militaris apud Romanos ab initio insignitus fuit) & ut universalis omnium Circularium Directorum Director, ac Belli Pacisq; Executor. Dum autem operationem Imperatoribus aliàs competentem author monitorum ipsi ob executionem pactis limitatam restringere vult, in eundem errorem recidit, quasi ea, quæ Judicium Camerale spectant, etiam Impe. torem quoad Consilium aulicum stringerent, cum tamen ratione sententiarum in hoc Consilio latarum se nunquàm ab executionibus arcuerit, sed ab ea de facto arceretur, si modus exequendi Camerali Judicio præscriptus Consilio aulico noviter

viter obtruderetur , imò quoad miſſionem in poſſeſſionem ea non permitterentur , quæ Judcio Camerali data ſunt; neque Officium dici poſſet, Directores vel Duces Circulorum á Jure quæſito ita arceri, cùm tale Jus quæſitum non habeant. *Receß. Imp. de Anno 1555. §. 64.* loquitur in terminis generalibus, quotiescunque militia circularis adhibenda, vel in campum deducenda eſt. Hîc etiam quæſtio non tàm eſt de rei judicatæ executione demùm præſtandâ, quàm de arte ab Imperatore factâ rurſus interversâ, qui caſus ad planè inſolitos referendus eſt.

Notari merentur, quæ ad hoc caput in fine leguntur, conſuetudinis vim notantia, quibus ea etiam ſuperſtructa ſunt, quæ diſſertatio in medium adduxit, & ſuprà in prolegomenis ulteriùs deducta ſunt.

## Ad Caput XIIX. & XIX.

IN utroque capite diſtinguitur inter eliſionem ſententiæ & repulſionem executionis: Hanc author Directoribus Circulorum contra Imperatorem tribuit, illam longè ab ipſis abeſſe vult. Sed illa ab hac vix mentaliter ſeparari poteſt, nam qui vult antecedens, vult etiam conſequens.

Ex ſuprà dictis autem conſtat, non tàm executionem, de qua agitur, quàm ejus irritationem eſſe inuſitatam, & novationem non ab Imperatore, ſed contra ipſius Majeſtatem inauditô exemplô fieri, nec Circulorum, ſed ipſius Jura turbari ab illis, quia talia ſuadent, & propugnare conantur.

## Ax Caput XX.

NOn negantur Exempla executionum ab Imperatore aliis, quàm Circulorum Directoribus vel Ducibus commiſſarum, ſed ſub finem *ad cap. 17.* aſſertum legitur, talia ſub Imperatore Ferdinando IIdo

usu venisse. Conceditur etiam, possessionem vacuam privatâ authoritate apprehendere nefas non esse. Dissertatio causam Megapolitanam antiquam & Erfurdensem intactam reliquit, propterea nec his exemplis immorari convenit.

Querelæ contra executionem Civitatis Dona-Werdensis alii, quàm Directoribus Circuli Svevici commissam potissimum inde derivatæ fuerunt, quod Civitas ob causam religionis in Bannum declarata fuit. Non satisfit rationibus dissertationis, si dicitur, in Instrumento Pacis non omnia speciatim correcta fuisse, quæ correctione indiguissent. Tanti enim momenti hæc materia executionum fuit, quæ Electores, Principes ac Status non paucos tùm contigit, & quotidie eos attingere potest, ut nequaquam cum reliquis levioribus incorrecta transiisset, si Imperatori alium exequendi modum proponi placuisset. An ergò Directoribus Circulorum singulatim id licebit, quod tunc ab universo Imperio factum non est? Nam in Instrumentis Pacis nihil de executionibus sententiarum imposterum aliter à S. Cæs. Majestate instituendis continetur: sed *art. 16.* ubi de ipsius pacis executione agitur, Directoribus & Ducibus Circulorum conjuncti sunt etiam Commissarii Cæsarei.

## Ad Caput XXI.

Distinctio vis directivæ & compulsivæ non infrequens est in materia executionis, sed cum eâdem non conveniunt distinctiones in monito ad hoc caput notatæ inter executionis comminationem, ejusque realem expeditionem, quia vis directiva non in nudis comminationibus juxta dissertationis mentem subsistat, sed ad reales dictationes pœnarum etiam banni, inhibitiones, arresta, sequestra, missiones in possessionem, assignationes, traditiones, dimissiones & absolutiones Officialium atque subditorum à præstitis Juramentis, per novas Juramentorum exactiones, & his similia se extendat, item

inter

inter executiones literaliter & realiter factas, quia vis directiva etiam ad realia se exerit.

Inter hæc recensetur etiam missio in possesionem, in qua executio sub disputationis incudem vocata potissimum consistit, quam Judicium etiam Camerale non adhibitis Circulorum Directoribus vel Ducibus cum effectu decernit, ut expresse habent verba *Ord. Cam. par. 3. tit. 49. §. 13. & tit. 48. §. 5.* Hæcque potestas ab initio statim Judicio Camerali concessa legitur *in Declar. Pac. publ. de Anno 1500. art. 8.* In dictis Sanctionibus contumax & condemnatus quidem in Bannum priùs declaratus dicitur, sed idem etiam pro more tùm receptô ante executionem per Circulorum Directores vel Duces expediendam contigit juxtà *Ord. Cam. par. 3. tit. 48. §. 1. & 8. & tit. 49.* Postquàm *in Receß. Imp. de Anno 1654. §. 15.* prævia ista declaratio in Bannum non amplius necessaria visa fuit; facultas mittendi Victorem in bona adjudicata Camerali Judicio propterea non sublata, nec statim in Directores Circulorum translata intelligitur.

Victorem tunc possesionem propriis viribus apprehendere, & minùs S. Cæs. Majestatem, quàm alium quemvis Magistratum aut personas etiam privatas ad occupandum ipsis assistere posse, *in Ord. Cam. par. 3. tit. 48. § 5. & 9. & in Declar. Pac. publ. de Anno 1522. art. 16. 24. 30. & 31.* sancitum est, nec requiritur, ut pars victa juxtà authoris sententiam in hanc immissionem priùs consentiat, multò magis dicendum, hanc facultatem Imperatori quoad sententias aulicas competere.

Fallè igitur asseritur, Executionem realem aliter, quàm per Circulos fieri nullô modô posse, aut Circulis injuriam tàm gravem inferri, si absque eorum ope Victor in possesionem mittatur. Nimis dura itaque hîc excidit expressio de hujusmodi executione Imperatoris authoritate factâ, quasi potiùs pro collusione cum Victore habenda esset, quamvis Justitiæ ipsius sententiæ nihil objiciatur.

 Posses-

Possessoriô interim decisô & parti victæ regressu in petitorio expressè reservatô, non licet videre, quid aliis inde adeò metuendum, ne Provinciis suis ejiciantur, quod ab Augustissimo Imperatore unquàm factum, aut unquàm cogitatum, sine injuria dici nequit, qui potiùs hanc à se suspicionem hôc ipsô declinaturus, noluit diuturnô sequestrô, aut aliàs possessionem rei controversæ detineri, cùm alterius partis intentio meliùs fundata visa sit, ut interim juxtà tenorem Capitulationis *art.* 39. ne sententia elusoria fieret, victorem ad possessionem & investituram admittendum duxerit.

Omnium potiùs Principum & Statuum interest, ne sub prolixo executionis sufflamine ditionibus suis diu carere cogantur, neque iniquæ conditiones tædiô litis ipsis extorqueantur, sed perversæ consequentiæ maturè præscindantur.

Cadente executionis irregularitate cadit etiam superstructa resistendi licentia.

## Ad Caput XXII.

RAtionibus hîc oppositis plurimis in dissertatione jam tùm satisfactum. Quicquid ulteriùs pro suspendendo effectu sententiæ pendente Judiciô revisoriô in Consilio aulico ratiocinatur author, tantum robur non habet, quin potiùs spectandum sit, quid usu observetur.

At constat, in praxi prævalere opinionem, quæ interpositô remediô supplicationis, executiones sententiarum in Consilio aulico non suspendendas censet. Nec obstat, quod in Capitulatione *art.* 42. non ad Recessum Imperii novissimum, in quo effectus suspensivus revisionibus Cameralibus ademtus est, sed ad Instrumentum Pacis, in quo effectus iste suspensivus ad revisiones sententiarum in Consilio aulico latarum extensus fuit, remissio fiat. Responderi enim potest, ibi in Instrumento Pacis non tantùm contineri remedium supplicationis in Consilio aulico ad exemplum revisorii effectum quoque suspensivum habere, sed quod etiam quoad Processum Ordinatio

Judi-

Judicii Cameralis in Consilio aulico per omnia observari debeat. Atqui Ordinationis Cameralis pars facta est sublatio istius effectûs suspensivi: ergo remissio facta in Capitulatione ad Instrumentum Pacis, de hac quoque sublatione effectûs suspensivi intelligenda est. Quoniam itaque observantia Consilii aulici sententias pendente revisione exequendi non mutata est, cur stare prohiberetur?

Quæ in fine contra hanc observantiam allegantur, non feriunt dissertationem, quia secundùm verba authoris, sententiæ ex certis causis suspensæ fuerunt, quod etiam dissertatio extra ordinem fieri posse, non negat. Casûs istos tantò magis extraordinarios fuisse, necesse est, quia ne supplicatio quidem in illis formaliter interposita fuisse dicitur.

Opinio ista contraria multos Consiliarios & Advocatos adduxit, ut interpositâ supplicatione executionem sententiæ urgere prætermiserint, quam Consilium aulicum partibus non implorantibus non obtrusit. Ex hac partium negligentiâ verò novæ observantiæ introductio, aut antiquæ receptio non est nata, nec quidquam præjudicatum Consilio aulico. Author propterea faciliùs in Consilio aulico remedium suspensivum concedendum esse vult, quia ibi celeriùs, quàm in Judicio Camerali Jus dicitur. At propterea ibi æquè, ac in hoc Judicio nihil prætermittitur, quod ad accuratissimam causæ cognitionem necesse est. Sed & partibus in Consilio aulico permittitur, pluribus scriptis, quàm in Judicio Camerali causas suas propugnare.

Tarditati Revisionum contra sententias Camerales instituendarum in Recessu Imperii *de Anno* 1654. simul ac effectus suspensivus ipsis rursus ademtus fuit; per Revisiones extaordinarias & annuas præventum legitur, ut æquè celerem exitum, ac supplicationes contra sententias aulicas habere deberent & possent. Quod autem Revisiones istæ extraordinariæ tantam dilationem hactenùs passæ sint, id ex accidente contigit, neque tamen eò usque extendendum est, ut propterea

 inter

inter Revisiones Consilii Imperialis aulici & Judicii Cameralis quod effectum suspensivum differentiam servari oporteat. Si Electores Principes & Status hoc desideràssent, postquám in Consilio Imperiali aulico sententias, non obstante supplicatione interpositâ, regulariter executioni mandari solere noverunt, id sine dubio claris verbis in capitulationibus, maximè in formula perpetuæ exprimi curâssent, quod intermiserunt inevidens indicium, istam Consilii aulici praxin non interruptam, nec Circulorum Directoribus commissum fuisse ut S. Cæsar. Majest. obices ponerent, quoties huic consuetudini insistendum censet.

# Ad Caput XXIII.

COntra sententias in possessorio latas non facile locum invenit Restitutio in integrum, & nisi à minore vel aliàs impeditô petatur, facilè dignosci potest, an calumniosè, an ex legitimis causis petatur. Nec verò Dissertatio Restitutioni in integrum suspensionem executionis simpliciter & in universum denegat. Ex *Receß. Imp. de Anno* 1532. *art.* 3. *§.* 17. Illud hîc amplius addendum, ne quidem remedium Syndicatûs executionem sententiæ in Camera Imperiali suspendere.

# Ad Caput XXIV.

DIssertatio non negat pendente revisione, si executio fiat, cautionem necessariam esse, sed illud tantùm vult, sub disputationibus de cautionis sufficientia executionem non esse impediendam, si victor sit Elector, Princeps, aut alius Imperii Status, bonis abundè instructus, quorum cautiones simpliciter arbitrio Judicis definiendæ *in Receß. Imp. de Anno* 1654. *§.* 124. submittuntur. Verba, quæ urgentur in monito, alias partes litigantes subintelligunt.

# Ad Caput XXV.

Bina penè secula elapsa sunt, ex quibus modus exequendi sententias Consilii aulici post institutum Judicium Camerale per Commissarios Cæsareos obtinuit, & post novissimum *Receß. Imp. per 44. Annos* continuatus stetit, ut intercedente tempore aliud introduci potuisset, si Directores Circulorum S. Cæs. Majestati, aliisvé Electoribus, Principibus & Statibus id persuadere potuissent.

Si autem res ad Comitia pertineret, non videretur, quâ ratione singulis Circulis eorumque Directoribus interim id tribui posset, ut receptum Consilii aulici modum procedendi & exequendi vi interrumpendum sibi sumerent.

Non adesse sufficientes rationes, videtur, ut causa petitorii pro desperata habenda sit, ad quam alludit, neque enim ex parte Religiosissimi & Justissimi Imperatoris in administranda Justitia ulla mora metuenda est, neque dilatio ex parte Victoris præsumi potest, cùm sententiam sub conditione solita, nisi quid novi ab altera parte proferatur, in petitorio ipsum ferri petiisse constet; latet contrà, qui in modo exequendi peccatum sit, ubi pars victrix sine vi in possessionem juxta sententiam missa est. S. Cæsarea Majestas pendente lite non adhibitis Circuli Directoribus regimen interim in parte Gustraviensi provisionaliter instituit, quod à Directoribus agnitum fuit. Cùm itaque nihil tàm naturale sit, quàm unumquodque eôdem modô, quô colligatum est, rursus dissolvi: S. Cæsareæ Majestati nihil etiam obstitit, quò minus illud ipsum regimen interimisticum suâ autoritate absq; Directoribus Circuli institutum, etiam absque eorum adhibitione iterum tollere, idque ei committere potuerit, cui possessio interim pendente petitoriô adjudicata fuit.

Appellandi licentia in fine data non erit intelligenda de Imperatore ad Directores Circulorum. Sed si fingeretur, par-

tem per ſententiam, vel in modo exequendi gravatam eſſe, certè alia Legibus & moribus ordinata remedia ſuperſunt, quàm ut ad viam facti convolandum ſit.

In Receſs. Imp. noviſſimô *§. 165.* expreſsè prohibitum eſt, parti, quæ ſe gravatam reputat, cauſas aliò trahere, quàm quò juxtà Ordinationes deferendæ ſunt. Nec etiam remiſſio ad Comitia locum habet, niſi ubi Conſiliarii vel Aſſesſores diverſarum religionum in partes abeunt, ubi de interpretatione & intellectu Conſtitutionum Imperii agitur, ut habet *Inſtrum. Pac. art. 5. §. 56.* Inter remedia legitima ſuccurſus Directorum Circularium nullibi refertur, ſed illorum auxilia armata, quamvis ſub prætextu defendendorum Jurium Circularium fieri dicantur, cùm talia non exiſtant, principaliter tamen ad reformandam impediendamque ſententiam, quamvis per indirectum tendere cenſebuntur.

## Ad Caput XXVI.

ALiud eſt, rem ad Comitia deferre, eamq; in Circulô præviâ deliberatione præparare, quod ab univerſis Circuli Membris non à ſolis Directoribus, nec in cauſis Judicialibus fit, aliud eſt, authoritatem Imperatoris & concluſa Ordinum prævertere; aliud eſt, Legum præſcripta urgere; aliud ea extendere, & conſuetudinibus receptis vi reſiſtere, quâ anomaliâ rempublicam turbari, neceſſe eſt.

## Ad Caput XXVII.

TAntum abeſt, ut Invictiſſimus Imperator Electores, Principes & Statûs ſervili jugô conſtringere, aut cæcô quôdam obſequiô faſcinare intendat, ut potiùs ipſius candorē, Clementiam, pietatem & æquitatem quovis Elogiô majorem in omnibus actionibus ejus prædominari per totum terrarum Orbem conſtet; hinc tantô magis mirandum, quod author monitorum